Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 21

Quelle:
Copyright:

netur: *Uacat prologus iſte qui non debet eſſe;* agitur vero de Praeloquio quodam ante *Paulinas*, in quo hae recenſentur et ultimo loco illa etiam, quae ad *Laodicienſes* fertur. Ita etiam *fol.* 323. p. 2. *Apocalypſi* in margine adjecta eſt *Gilberti Pictav.* Praefatio, quae in *Bibliis gloſſ.* praeſto eſt.

XIII.

U. 4 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 473. f. min. per duas columnas minutius, aſt nitide perſcriptus, rubricisque inſignis *Biblia* continet *U. T.* e Verſione vulgata, quorum Παρεργα ſub finem ediſſeram. Eſt vero hic Librorum Ordo: *Pentateuchus*, *Joſue*, *Judices*, *Ruth*, *IV. Regum*, *II. Paralipomenon*, *Prophetae* majores et minores, iterum *Ruth*, *Esdras* et *Nehemias*, *Tobias*, *Judith*, *Eſther*, *Job*, *Pſalterium*, *Libri Salomonis*, *Sapientia*, *Eccleſiaſticus*, *II. Machabaeorum.* IV. *Evangeliſtae*, *Pauli Epiſtolae*, *Actus Apoſtolorum*, *Epiſtolae Canonicae* et *Apocalypſis.* Libri hi Prologis *Hieronymianis*, aut aliis notis Argumentis inſtructi ſunt, et hinc inde in margine ſecundis curis ſubpleti aut refecti. *Pſalterium* a recentiore manu perperam inſcriptum eſt: *centum quadraginta pſalmorum a beato Jeronimo de hebreo in latinam linguam translatum;* verſio enim, uti dictum, vulgata eſt. Pſalmi diverſos titulos myſticos praeferunt. *Eccleſiaſtico* ſubjuncta eſt absque titulo *Oratio Salomonis* e III. *Reg.* 8. 23. Teſtimonium triplex I. *Joh.* 5. ita habet: *Quia tres ſunt qui teſtimonium dant Spiritus et aqua et ſanguis; et tres unum ſunt.* Sed το *et tres unum ſunt*, transfixum eſt, et in margine jubetur pro *Quia* legi *Quoniam*, et poſt *teſtimonium dant* a recentiore calamo inſeri: *in celo. pater. uerbum. et ſpiritus ſanctus. et hii tres vnum ſunt. Et tres ſunt qui teſtimonium dant in terra.* Jam autem, quae Παρεργα dixi, ante *Biblia* quidem partim coaeva, partim ſubpari manu haec ſunt: Index ſacrorum Librorum, Liber *Baruch*, Index Epiſtolarum et Evangeliorum per annum in Eccleſia legi ſolitorum, ad cujus calcem: *Hunc Librum pro collegio ducali dedit honorabilis vir Antiquus Magiſter foreſtarum* (der alte Forſtmeiſter) *domini ducis Alberti Tercij* (cum Trica, ✠ 1395.) *cui dominus in eterna Patria retribuere dignetur;* Recenſus *Capitum* Bibliorum, Prologus *Hieronymi* dictus *galeatus*, qui, ut monetur, *habet locum ante principium Librorum Regum*, Secundus Liber *Esdrae*, id eſt, Tertius apocryphus, Oratio *Manaſſis* hic tantum inſcripta: *Poſt ſecundum paralipomenon*, Praefatiunculae in Prophetas minores, prout habentur in *Bibliis gloſſatis*, usque ad *Sophoniam.* Poſt Biblia Adparatus iſte ita continuatur: Nomenclator biblicus vocum hebr. et graec. Praefatiunculae in Prophetas reliquos minores, *Rabani* ad *Geroldum* in Machabaeos, *Origo dauid regis prophetie pſalmorum* &c. Epiſtola *Pauli* ſpuria ad